

testimonio Canticorum B. Thomas, ex eoque concludit, peccatum actionis in Dei Matre numquam fuisse. *Fatendum est*, inquit (a), *quod Beata Virgo nullum peccatum actuale commisit, nec mortale, nec veniale; ut sic in ea impleretur, quod dicitur Canticorum quarto: Tota pulchra es, &c. Quibus positus, quod ad rem pertinet, ita conficio, utarque verbis Ambrosii Catharini: Si ad pulchritudinem istam complendam unius etiam peccati venialis maculam a Virgine removere opus est; quis asserat, terribilissimam illam peccati originalis labem cum tanta pulchritudine componi, & copulari potuisse, ut nihilominus tota pulchra, & sine macula prædicari debeat?*

Jam vero piam sententiam veterum Patrum traditioni consentaneam esse demonstramus. Id antequam facio, libellatoris fucum, & levitatem coarguere debeo, qui cum illud afferret, Pontificis esse, quid sit Ecclesiæ traditioni conveniens, omnino decernere; eundem in Petri Sede tamquam in specula collocatum traditionem de rebus, quæ sunt definiendæ, investigare debere (ipsamque videlicet, si dubia sit, & obscura, ac pro hominum more, aliis alio trahentibus, varie intellecta, explicare: hoc enim Pontificis singulare, ac proprium est, quamvis ipse non dixerit) cum illud, inquam, profiteatur, interim sibi jus Pontificium, ac potestatem non veretur adsciscere. Ait enim sine ullis ambagibus, ac propemodum decretoria sententia, *preservationem Virginis non esse traditioni conformem*. Quod quid est aliud, quam Paschasium Quesnellum, caterosque de grege Jansenistarum audaces homines imitari, ac se conferre privatam hominem, vel anteferre Pontifici? Illi enim Pontificis Maximi in causa Quesnelliana iudicium a traditione veterum Patrum dissidere contendunt: libellator, ejusque similes eo tandem ratiocinando deveniunt, ut hoc eisdem affirmare necesse sit, præceptum Pontificis de cultu adhibendo immunitati Mariæ cum traditione vetustioris Ecclesiæ non convenire, hoc est, honorem esse præscriptum

(a) 3. par. quest. 27. art. 4.